





1796, 2  
FACVLTATIS IVRIDICAE  
DECANVS  
FRANC. MAVRITIUS BACHMANN

JCTVS

EMINENTISS. AC CELSISS. PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSI-  
LIARIVS REGIMINIS ACTVALIS, MEMORATAE FACVLTATIS ADSESSOR,  
ET IVRIS PVBLICI TVM ECCLESIASTICI TVM POLIFICI  
PROFESSOR PVBL. ORDIN.

## SOLEMNIA IN AVGVRALIA

NOBILISSIMI AC CLARISSIMI IVRIVM  
CANDIDATI

D N. ADAM. FRID. CHRISTIANI VOIGT  
ERFVRTENSIS,  
REGIM. ELECT. ET IVDICII PROVINC. QVOD ERFORDIAE EST, ADVOCATI,  
DIE XVII. DECEMB. MDCCXCVI.  
LOCO CONSVENTO  
PERAGENDA INDICIT.

---

SIMVLQVE NONNVLLA  
DE FATIS CONCORDATORVM GERMANIAE IN ECCLESIS  
PROTESTANTIVM PRAEFATVR.

---

ERFORDIAE,  
TYP. IOAN. CHRIST. GOERLING, Acad. TYPOGR.



§. I.

**C**oncordata nationis germanicae cum sede apostolica inita  
esse vel *concordata principum*, vel *Aschaffenborgensia*,  
et haec *posteriora* alio quoque nomine a loco, vbi solempne  
instrumentum confectum est, *Vindobonensia*<sup>a)</sup> vocari, et  
non obstante, quod concordata haec Aschaffenborgensia vel  
Vindobonensia ex constitutione et origine sua sint vitiosa,  
illegaliter<sup>b)</sup> condita, et nationi germanicae odiosa, vim

A 2

tamen

a) Conf. HEDDERICH in element. iur. Canon. P. I. C. 4. S. 2,  
T. 6. §. 212. concordata haec non *Aschaffenborgi*, sed *Vindobonae*  
die 17. Febr. 1448. ad ipso Caesare conclusa esse, ostendit Koch  
in erudita sua, quam a. 1789 argentorati edidit, *sanctione pragmati-  
ca germanorum illustrata*.

b) euidem vi conclusi A. 1447. in comitis aschaffenborgensibus  
editi indicenda fuissent a caesare comitia Norimbergae, in qui-  
bus communis ordinum imperii consensu decernenda fuisset pro-  
uiso sedi apostolicae a natione germanica ante promissa. Ast  
tantum abest, vt imperator FRIDERICUS III. huic ordinum  
imperii concluso satisfaceret, vt potius studio Aeneae sylui solus  
cum legato sedis apostolicae non sine grauissimo nationis detri-  
mento concordaret. Inde IOAN. MICH. DAHM in Diss. *de  
unione electoralis* Moguntiae 1754. edicta iam tum pag. 55. lit. f.  
animadvertebat, perperam haec concordata a Doctoribus pro lege  
imperii fundamentali reputari, quod a solo caesare, dissidenti-  
bus statibus, essent approbata. Vid. omnino HEDDERICH cit.  
I. §. 212. et 213. lit. a.

tamen obligandi ex superueniente ecclesiarum particularium et imperii procerum acceptatione ac libero consensu obtinuisse, et adhuc hodie ex praxi et obseruantia imperii per nouissimas LEOPOLDI II. et FRANCISCI II. glorioseissime regnantis capitulationes <sup>c)</sup> expresse firmata obligare ecclesias Catholicorum in germania, nemo facile ignorat, qui vel limina iuris publici ecclesiastici germanici hodierni salutavit <sup>d)</sup>. Quo ipso tamen tantum abest, vt per haec concordatorum Aschaffenburgenium vim obligandi eneruatum sit omne robur *concordatorum principum*, vt potius haec vi expressae clausulae saluatoriae concordatis Aschaffenburgenibus insertae <sup>e)</sup> instar *regulae seu legis anterioris, concordata vero Aschaffenburgensia instar exceptionis, seu legis posterioris*

c) Art. 14 §. 1. in verbis: die mit dem Pabst EUGEN IV. und NICOLAUS V. geschlossenen Konkordate. Illustravit hunc locum, eiusque a prioribus capitulationibus differentiam AUGUST. FRID. WILHELM CROME in den historischen und publicistischen Anmerkungen und Erklärungen der Wahlcapitulation Kaisers LEOPOLD des Zweiten, S. 113 u. f. Hildburghausen 1791.

d) Licet recentioribus quibusdam dubium nullum videatur, quin natione germanica a concordatorum Aschaffenburgenium s. Vindobonensem obligatione communis consensu sese eximere queat. HEDDERICH cit. l. §. 217. GERSTLACHER in Corp. iur. german. 2. Band, S. 61. f. und in den Anmerkungen über JOSEPHS II. Wahlcapitulation, S. 116. f. IACOB FRANZ FUHRMEISTER: in Rechten und Geschichte wohlgegründete Beantwortung der Frage: Ob die deutsche Nation noch verbunden sey, die mit dem Pabst eingegangenen Aschaffenburger Konkordaten zu halten? Heiligenstadt 1789.

e) In aliis autem etc. conf. CARL. KLOCKER de clausula Aschaffenburgenisi: in aliis autem etc. decretorum Basileensium saluatoria, Ingolstadt 1789.

*rioris etiamnum sint habenda* f), adeo, ut, quidquid in concordatis Aschaffenburgensibus non est expresse et libere abdicatum, id omne nationi germanicae in vim pacti sit vel expresse vel tacite confirmatum, et hoc est, quod vulgo dicitur, concordata Aschaffenburgensia stricte contra sedem apostolicam esse interpretanda.

§. 2.

Quae hactenus dicta sunt, intuitu Capitulorum et ecclesiarum catholicarum per germaniam tantum obtinent. In

A 3 eccle-

f) Conferri hoc loco adhuc merentur praeter iam allegatos HORIX Concordia nationis germanicae integra variis additamentis illustrata, Tom. II. Francofurti et Lipsiae 1773. NELLER de ceruis concilii Basileensis decretis, maxime hierarchicis, a germania et galia A. 1438 et 1439 acceptatis, germaniae ab EUGENIO IV. S. P. specialiter indulitis, per barum nationum cum s. sede concordata A. 1448 et 1576. immunitatis vel. non. Trevir. 1764. et in SCHMIDTI Thesaur. iuri. eccles. T. I. N. VI. GREGEL de iuribus nationi germaniae ex acceptatione decretorum Basileensium quae sitis, per concordata Aschaffenburgenis modicatis aut stabilitis. Mogunt. 1787. HEDDERICH de iuribus ecclesiae germ. in Concilium Emsano explicatis etc. Bonnae 1788. MOHL in den Bemerkungen über die neueste Geschichte der deutschkatolischen Kirche, und besonders über die Frage: in wie ferne die Basler Decrete heut zu Tage noch gültig seyen? Frankfurt und Leipzig 1788. S. 69. f. Quod autem mirandum est maxime, sic in nouioribus adhuc temporibus valorem concordatorum principum aggressus est ex ipsis scriptoribus protestanticis vir celeberrimus et eruditissimus SPITTLERUS in der Geschichte der Fundamentalgesetze der deutschkatolischen Kirche in Verbüttniß zum Römischen Stuhle (im Götting. biflor. Magazin, I B. 2. St. N. 13. und 3. St. N. 4. inde quoque singularis et extraordinariis Viro huic obtigit honos, vt in Responso PII VI. P. M. ad metropolitanos Moguntin. Treviren. colonien. et Salisburg. super nunciaturis apostolicis Florentise 1790. Cap. VI. ubi praeprimis Curiae Romanae hanc in rem principiis fuse expoununtur, ad eam magis firmando fuerit allegatus. Vid. CROME loc. supra cit. pag. 115.

ecclesiis protestantium secus omnia se habent; ex quo enim tempore natum est in germania famosum illud, et cuique ex historia imperii nouissima sat cognitum Religionis dissidium, noua quoque, et ab iis, quae valuerant hactenus, plane diuersa circa religionem, et ecclesiam principia ac systemata inualuere. Ortum inter alia tum temporis, omniumque auribus intonabat axioma: *cuius est regio, illius est religio.* Huius axiomatis et nouae doctrinae auspiciis freti principes varii, Augustanam Confessionem secuti, ab ecclesiastico Pontificis et Episcoporum Regimine sese eximebant, contendentes, iurisdictionem ecclesiasticam, imo integrum sacrorum ius sibi ipsis competere, vi ciuilis imperii ad terminos territorii adstricti, exercendum. Opponebant se quidem Imperator, et status Catholici, iurium tum papalium, tum episcopalium defendendorum gratia. Ad arma peruentum est, foedus inde Schmalkaldicum coaluit, et in plenas mox belli flamas erupit. Secuta deinde A. 1552. transactio *passauii* inita, cui dein A. 1555. in Comitiis Augustae Vindelicorum *Pax religiosa* fuit inaedificata <sup>g)</sup>. Inter alia Pacis huius Capita etiam hoc erat, vt iurisdictio ecclesiastica Pontificis et episcorum intuitu Aug. Conf. addictronum vsque ad Compositionem controversiarum religionis esset suspensa quidem, sed nonnisi in causis et casibus Augustanam Confessionem, religionem, fidem etc. concer-

nen-

g) Historiam Pacis religiosae dedit IO. SCHILTERUS Argent. 1700. extat et in LEHMANNO suppleto ac continuato. Francof. 1709. p. 351. seq. acta publica ad eam pertinientia collegit LEHMANNUS Francof. 1640. et 1707. de coetero inter plures alias adhuc conferatur IGNATIUS WEDEKIND in Diss. de *Historia Pacis religiosae*, Heidelberg. 1738. et in Thes. j. E. G. T. I. p. 411. seq.

nentibus<sup>b)</sup>; cumque per haec Pacis Verba non esset simul decisum, nec aliunde clarum satis videretur, quanam ergo causae ad Augustanam Confessionem, religionem, fidem etc. proprie pertinenter, nouae post Pacem religiosam inter vtriusque religionis consortes inde ortae sunt controvrsiae, magna animorum contentione agitatae. Sic E. G. quaerebatur: *an augustissimus Caesar in ecclesiis protestantium possit ius primiarum precum exercere?* negabant quaestionem Aug. Conf. addicti, et praetendebant, ius hoc augustissimi caesaris dependere ab indulto papali, consequenter, suspensa per Pacem religiosam in terris protestantium iurisdictione Papae, ipsum quoque ius primiarum precum esse suspensum, cum Papa plus iuris in imperatorem haud transferre queat, quam ipse habeat. Affirmabant autem Catholici asserentes, exercitium iuris caesarei primiarum precum neutiquam accensendum esse causis Aug. Confessionem, religionem, fidem etc. concernentibus, vt pote in quibus solis auctoritas et iurisdictio Papae per tabulas Pacis religiosae esset suspensa; neque etiam aliquid Aug. Confessioni aduersum fieri, si precista Aug. Conf. additus capitulo protestantico a caesare praesentaretur. Colophonem huic controvrsiae demum Pacis Osnabrugensis Tabulae impo- suerunt<sup>i).</sup>

§. 3.

<sup>b)</sup> IACOB. JOSEPH. SYNDERMAHLER in Diss. de suspensa iurisdictione ecclesiastica ad illustrandos §. VII. Pac. relig. et XLVIII, art. V. Pac. Osnabrug. Wirceburgi 1753. §. 3 seq.

<sup>i)</sup> Art. V. §. 18. et 26. Vid. BANNIZA in Diss. de diuersarum religionum tolerancia ac receptione generica et speciali. C. 2. §. 27. Wirceburgi 1737. Idem in Diss. de iure caesareo primiarum precum. Cap. 3. pag. 91 seq. Wirceburgi 1749.

Ex eodem Capite disceptabatur, quae *huius* praepri-  
mis loci est, quaestio: *Num Concordata nationis germani-  
cae et iura Pontifici Romano inde competentia locum adhuc ha-  
berent in capitulis et ecclesiis protestantium?* negabant iterum  
*hi*, affirmantibus *Catholicis*. Imo nolebant *Catholici* prin-  
cipes illos Aug. Conf. addictos, qui per electionem aut  
postulationem nati erant episcopatus, pro episcopis habe-  
re, vnicet ob defectum confirmationis sedi apostolicae in  
Concordatis assertae, et sine qua neminem episcopi mu-  
nere fungi posse statutum esset in Cap. *qualiter* 17. X.  
*de elect. et elect. potest.* et quod in Pacis religiosae tabulis  
haud occurreret *vlli* episcopi protestantis mentio, Caesar  
augustissimus hanc ob causam quoque illis inuestituram  
de regalibus imperii feidis, votumque simul ac sessionem  
in Comitis concedere recusabat, donec post longas et latas  
in congressu Pacis westphalicae disputationes et Consulta-  
tiones, mutuo tandem vtriusque religionis assectarum con-  
sensu statutum esset, ac conuentum, vt imo principes ec-  
clesiastici Aug. Conf. addicti sub Titulis electorum aut pos-  
tulatorum in archiepiscopos, episcopos, abbates aut pra-  
positos in Imperio deinceps agnoscerentur, 2do a sacra  
Caesarea maiestate, postquam intra annum electionis aut  
postulationis suaue fidem fecerint, et iuramenta regalibus  
suetis feidis praestiterint, absque vlla exceptione inuesti-  
rentur; 3tio peculiarem in Comitis cum iure suffragii ses-  
sionem in scanno inter ecclesiasticos et saeculares inter-  
medio et transuerso <sup>k)</sup> consequerentur, de caetero autem

410

*k) De quo conf. CHRIST. WILDVOGEL in Diss. de scanno  
comitiorum transuerso, Ien. 1707. GODOFR. DANIEL HOFF-  
MANN in Dissert de scanniis, eorumque diversitate in Comitiis et  
iudiciis imperii, §. 7. Tubingae 1769.*

4to nullus foret exactioni ac executioni Annatarum, iurium pallii, confirmationum, mensium papalium, et huiusmodi iurium ac reservationum locus in bonis statuum aug. confessionis ecclesiasticis immediatis, 5to Cesareae tameu maiestati electi eiusmodi aut postulati in archiepiscopos, episcopos aut praelatos Aug. Conf. addictos, ultra taxae ordinariae summinim, insuper eiusdem dimidium pro infederatione pendere tenerentur, 6to in Capitulis autem mixtis Canonici ad statum anni 1624. cal. ian. reducerentur, ita, vt, quot Capitulares aut Canonici in dicta 1ma die ian. fuissent vel Aug. Confessionis vel catholici, totidem ibi ex vtraque religione futuri essent semper, nec decedentibus alii, quam eiusdem religionis consortes surrogarentur; intuitu vero Catholicorum decedentium menses papales, si id temporis in vsu fuerint, deinceps quoque obtinerent, ac executioni casu eveniente mandarentur, modo papalis prouisio capitulis immediate et curia romana et tempore legitimo insiuuaretur<sup>1)</sup>. Tandem etiam Aug. Conf. addicti Princes et status obtinuere, vt Capitulationibus caesareis, et prima quidem vice Capitulationi Ferdinandi IV. articulo 14. cautela quaedam, et modificatio adderetur, et in omnibus subsequentibus Capitulationibus repeteretur, vi cuius ea, quae in dicto articulo de Concordatis nationis germanicae essent praemissa, nequitquam Aug. Conf. addictis electoribus, principibus et statibus, nobilibusque imperii immediatis eorumque subditis damno aut praeiudicio esse, nec in consequentiam trahi deberent contra illa Capita, de quibus in pace religiosa et profana non minus, ac osnabrugensi et monasterensi aliter esset cautum<sup>m)</sup>. Ut proinde certum, ac indubitatum omnino sit,

1) vid. inst. P. O. art. V. §. 19. 20. 21. 22 et 23.

m) conf. Capit. nouis. art. 14. §. 6.

sit, concordata nationis germanicae apud protestantes omni plane vsu, et applicatione esse destituta, et nullatenus in praediudicium eorundem adduci vel allegari vnuquam posse.

## §. 4.

Non tamen ex scriptoribus protestanticis magni nominis desunt, qui ex alio plane fundamento, praetensae nimirum iurium papalium in ipsos principes translationis, usum Concordatorum apud protestantes familiarem, et longe seuerioriem, quam inter ipsos catholicos obtinet, cum magno quidem tum ecclesiarum, tum singulorum clericorum incommodo, ast insigni ipsorum principum lucro, et sub emergico verborum apparatu tuentur. Quod nelius, quam verius dixisse videar, ex scriptis ipsorum in medium proferre liceat vnum vel alterum exemplum: Constat, §. concordatorum: *placet nobis, omnia et quaeunque beneficia in Curia, vel in loco non ultra duas diaetas ab eadem distante per mortem naturalem vacantia Pontifici romano esse reseruata.* Applaudit hic SAMUEL STRICKIUS germanorum procerum ex protestantium ordine felicitati, et piae concepti inde gaudii magnitudine vix non extra se raptus<sup>a)</sup> exclamat: *En insigne principum nostrorum priuilegium. Pono, mortuus quis Canonorum in residentia nostri principis, aut loco non distanti longe, quis ipsi contra ius papale denegaret conferendi postatem? omnis princeps dominus est ordinarius omnium in suis terris beneficiorum; supremam habet iurisdictionem ecclesiasticam, quod autem collatio sit iurisdictionis ecclesiasticae, deduxit I. de Selua – nec contradicere possunt Capitula,*  
quae,

<sup>a)</sup> in Diss. *de iura papali principum euangelicorum* C. 3. §. 3. Hall. Magdeb, 1694.

quae, quod Pontifici propter Concordata germaniae praestandum fuit. nostris principibus in iura ipsius succendentibus denegare nequeunt. Sane romani Pontifices praedictorum beneficiorum reseraciones vi tantum Concordatorum, consequenter vi solius pacti cum germanis initi sibi vindicant; laudatus vero STRYCKIUS titulo insuper dominii omnium beneficiorum intra fines territorii existentium easdem Principibus asserit. Eadem in Principes liberalitate idem author ea beneficia, quae ob mortem ciuilem, E. G. priuationem, depositionem, translationem, electionis aut postulationis cassationem etc. in Curia vacant, et propterea Collationi Pontificis reseruantur, iisdem transcribit, argumento ex concordatis desumto; sic autem ille.<sup>o)</sup> discurret: *Si enim pontifici per concordata ex versione GOLDASTI C. 1. n. 3, verb. item mann durch den Pahf jemand abgesetzt, id licet, quare neque liceat nostris principibus, ad quos ipsius iura deuoluta scimus? et quid conuenientius iuri, quam ut dissoluens (per priuationem, vel alium modum) iterum constituat (per nouam collationem) quod dissoluit. Nec obstat quod deposito per consistorium pastore, nihilominus ius alium eligendi competit patrono; huic enim id iuris concessum, quod ibi a Pontifice reservatum, et sic principibus nostris denegari nequit a capitulis, quae ius potius contra dominum suum per reformationem plane non sunt consecuta.* Digna adhuc memoratu sunt, quae ab aliis quoque non minoris auctoritatis viris, et ab ipso etiam laudato STRYCKIO de iuribus annatarum, certis adhuc in casibus Papae ex concordatis soluendarum, in gratiam principum et dominorum territorialium protestantium adferuntur. Sic autem inter hos praeprimis I. H. BOEHMERUS in SCHILTERO notis suis illustrato<sup>p)</sup> adquaestionem: *an iura annatarum*

B 2

prin-

o) cit. I. §. 4. in f.

p) L. 2. Tit. 6. §. fin.

principes protestantes sibi vindicare queant? respondet in verbis: vel inde affirmo, quia iura ipsa haud sunt sublata, sed tantum iniustis possessoribus erupta; ipsa beneficia ecclesiastica nullibi hoc tributi genere sunt liberata, sed Pontifici tantem ius suum ademptum. Cum ergo per art. 5. § 48. I. P. O. omnis iurisdictio ecclesiastica cum omnibus speciebus intra limites territorii sese contineat debeat, principi territorii vique integrum est exercere illa iura, quae olim iniuste Pontifices et episcopii in territoriis protestantium exercuerent, — et citatus STRYCKIUS ad quaestionem propositam<sup>q)</sup> quam et ipse affirmandam putat, in haec arguit verba: Si enim omne ius papale, quatenus iustum, competit ipsis (principibus A. C.) hoc ius (scil. annatarum) excludi nequit; quod autem, si a vero domino exiguntur, iustitiae regulis nitantur annatae, non dubito; nec est, quod dicas, id ius nunquam concessum esse ipsis; sane Pontifici per Concordata germaniae hoc ius, suis tamen limitibus inclusum, quaesitum esse nemo dubitat; ergo iure ab hoc deuoluto nostri quoque gaudebunt principes. Deinde solatür capitula paulo inferius ita scribens: certe si catholica mansissent capita, Pontifici haec soluere debuissent; quo iure ergo hoc denegabunt principibus, papali iure et territoriali simul instructis! STRYCKIUM excipit PETR. LUDEWIGIUS<sup>r)</sup> qui usque eo progreditur, ut canonicos et clericos protestantes in eo feliciores praे catholicis pronuntiet, quod illi annatas principi suo soluere, hi autem Romanas mittere teneantur extra patriam<sup>s)</sup>. Sed filum abrumpo et me nunc

con-

q) in cit. Diss. C. 4. §. 8.

r) in Diss. de praecipuo principiis euangelici C. 10. §. 4. Hal. Venet. 1719.

s) Id saltem hoc loco notasse sufficiat, quod de nullis Canoniciatis, Parochiis, Vicariis perpetuis, alisque beneficiis et officiis ecclesie-

conuerto ad indicenda solemnia inauguralia nobilissimi ac clarissimi

**DN. ADAM. FRIDERICI CHRISTIANI VOIGT**  
IVRIS VTRIVSQUE DOCTORANDI,

qui more consuelo ea, quae ad studiorum suorum et vitae laudabiliter hactenus peractae rationem spectant, sequentibus recenset verbis:

*Natus sum Erfordiae die IX. Octobris MDCCLXXII.,  
patre Georg. Christ. Voigt j. vt. Doctore, aduocato celeberrimo,  
atque ordinis Senatorii membro; quem optimum carissimumque patrem immatura morte initio huius anni extinctum*

B 3

lugeo

ecclesiasticis inferioribus in toto germanico imperio apud *Catholicos vi concordatorum Annatae sedi apostolicae soluantur, cum omnia haec beneficia fictione iuris et recepto curiae romanae stylo habeantur pro talibus beneficiis, quae valorem 24 florenorum de Camera haud excedunt, licet verus eorundem valor secundum communem aestimationem ascendet ad triplum; et amplius quare, cum in concordatis expresse cantum sit, ut de illis beneficiis, quae valorem 24 florenorum Auri de Camera non excedunt, nihil soluantur, consequitur omnia beneficia ecclesiastica, (modo episcopatus, abbaties, aliaque beneficia consistorialiter conferenda exceptis) vtpote infra praedictum valorem in libris Camerae apostolicae taxata ab onere solvendarni annatarum prorsus immunita esse. conf. DÜRR in Diss. de annis *Carantiae Canon. eccl. catbed. et collég. in germania* §. 7. p. 36 etc. Mogunt. 1772. apud protestantes vero; si STRYCKIO credendum, omnes omnium beneficiorum ecclesiasticorum fructus, redditusque, qui primo anno ex illis vénient, annatarum nomine ad ultimum usque quadrantem dominis suis territorialibus relinqueret, clerici etiam nolentes adstringuntur. Cuius autem religionis Canonici vel clerici, omnibus his rite ponderatis, nunc beatiores habendi?*

lugeo, matre vero carissima Martha Christina nata Müller.  
 Linguarum antiquarum et litterarum edocutus duce beat. For-  
 selio ac Prof. Soemmeringio, quorum recordationem gratis-  
 sima colere mente non desinam, gymnasium, quod Erfordiae  
 floret per quadriennium frequentauī, quo clarissimorum viro-  
 rum Franck, Bellermann, Sinnhold, Ritschl, Soemmering  
 beat. Weingaertner instructione gauisus sum. Quibus per-  
 actis aliora appetens studia, albo studiosorum in alma et per-  
 antiqua uniuersitate patria sum insertus. Illust. Lossius me  
 artem logicam, tam theoreticam, quam practicam, methaphy-  
 sicam, ius naturae, et Ethicam naturalem docuit. Perillust.  
 et meritissimum Reinhard fautorum atque patronum summe  
 venerandum, mathesyn atque historiam iuris tradentem audiui.  
 In iurisprudentia naturali Illust. atque doctiss. Badero, in  
 institutionibus et historia uniuersali illust. Dominico in Aesthe-  
 tica Illust. Hermanno, in physico experimentali Illust. Hamil-  
 tonio, in historia litteraria Illust. Franckio usus sum. Tunc  
 in uniuersitatem Ienensem perueni. Perillust. ab Eckard Di-  
 gesta, Perillust. Schnaubert fautor atque patronus summopere  
 colendus, ius publicum, feudale, canonicum, et principia pro-  
 cessus imperii, Clariss. atque doctiss. Kretschmann nunc tem-  
 poris Consiliarius intimus Boruss. principia iuris criminalis,  
 priuati atque institutiones iurium doctiss. Voelcker artam rela-  
 toriam, Perillust. Nicolai medicinam forensem. Illust. atque  
 clariss. Fabri amicus, omni pietatis studio venerandus Geo-  
 graphiam statisticamque, Illust. Heinrich historiam uniuer-  
 saliem me docuerunt.

His

*His omnibus gauisus sum Doctoribus, fautoribus atque patronis, quibus omnibus multum debo. Quapropter nihil magis mihi curae cordique est, quam ut his paeceptoribus aequo ac fautoribus, pro ea, qua me amplexi sint solertia, benignitate atque amicitia, solemnes iam gratias agam easque maximas.*

*Anno MDCCCLXXXIII. mens. April. reuersus ad patriam, mense Octob. ab illust. ac Magnifico ICtorum ordine explicatis ac resolutis antea tam ex iure ciuili, quam canonicō textibus, rigorose examinatus sum, et mense Iun. MDCCCLXXXIV. in aduocatorum numerum, elaboratis exhibitisque speciminabus practicis ex actis ciuilibus ac criminalibus, et examine pratico peracto, sum receptus.*

Cum igitur praedictus Candidatus in amplissimo iuris-prudentiae campo strenuam hucusque egerit militiam, studiorum fiducia fretus nostrum adiit ordinem, simulque ad consueta pro summis ex vtroque iure honoribus consequendis specimina vt admitteretur, decenter petiit, ad quae admissus, non solum communicatos sibi ad resoluendum iuris vtriusque textus eleganter, et magno cum eruditionis apparatus enodauit, sed in ipso quoque examine rigoroso per promtas non minus ac solidas responsiones suas ad quaestiones ex omni iure propositas eum sese exhibuit, quem vnam calculo petitis honoribus dignissimum ordo noster iudicaret. Publica proinde solum adhuc restant specimina, quibus edendis dies XVII. Decemb. A. C. est praeinititus, in quo primum lectionem, quam vocant, cursoriam in L. 3. C. de

de non numer. pecun. ex cathedra paeleget, et liac finita dissertationem suam inaugurem, quam scripsit sub Tit.

**Excursio in L. 54. D. de iur. dot.**

absque Praeside tuebitur. Quos actus solemnes, vt reuerendissimus, perillustris et perquam gratiosus Dn. Procan-cellarius, magnificus academiae Rector, et reliqui proceres ac ciues academicci omnes splendidissima praesentia sua ornare, velint, pro ratione officii mei enixe ac decentissime rogantur. Publicatum sub Sigillo Facultatis iuridicae die XI. Decemb. MDCCXCVI.



Erfurt, Diss., 1783-1801 I

X 238 6945





1796, 2  
20

FACVLTATIS IVRIDICAE  
DECANVS  
FRANC. MAVRITIUS BACHMANN  
JCTVS

EMINENTISS. AC CELSISS. PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSTI-  
LIARIVS REGIMINIS ACTVALIS, MEMORATAE FACVLTATIS ADSESSOR,  
ET IVRIS PVBLICI TVM ECCLESIASTICI TVM POLITICI  
PROFESSOR PVBL. ORDIN.

## SOLEMNIA INAVGVRALIA

NOBILISSIMI AC CLARISSIMI IVRIVM  
CANDIDATI

DN. ADAM. FRID. CHRISTIANI VOIGT  
ERFVRTENSIS,

REGIM. ELECT. ET IVDICII PROVINC. QVOD ERFORDIAE EST, ADVOCATI,

DIE XVII. DECEMB. MDCCXCVI.

LOCO CONSVENTO

PERAGENDA INDICIT.

---

SIMVLQVE NONNVLLA  
DE FATIS CONCORDATORVM GERMANIAE IN ECCLESIS  
PROTESTANTIVM PRAEFATVR.

---

ERFORDIAE,  
TYP. IOAN. CHRIST. GOERLING, ACAD. TYPOGR.